



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,  
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis  
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,  
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Virtute Religionis, Et Ei Annexis; Continens septem Tractatus  
Theologiae Moralis praecipuos. Primus, in ordine septimus, est de Oratione  
... Septimus, & latissimus, de Beneficiis Ecclesiasticis

**Castro Palao, Fernando de**

**Lugduni, 1669**

Disputatio V. de beneficiorum oneribus, & vtilitatibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76561)

fuisse illos præferre, vt latè Felin. in c. dilecti. verbo ordo scripturæ. de rescriptis. n. 4. & seqq. Ant. Gomez. i. tom. var. c. 2. n. 4. & 5. Gutierrez. c. 26. n. 10.

10 Qualiter autem hæc computatio proximitatis faciendâ est, an secundum ius canonicum, an civile? Probabilis existimo secundum ius civile faciendam esse: nam licet capellania non iure successione conferatur, conferenda tamen est iis, qui fundatori proximiores fuerint; ad cuius inuestigationem non tam canonica computatio, quam civilis, & legalis deseruit, sic Garcia 7. p. de benef. c. 15. n. 25. Excipe tamen nisi fundator consanguineos intra quantum gradum determinaret; quia ratione huius determinationis, & designationis canonicam computationem videtur accecidisse, in qua solum consanguinitas vsque ad 4. gradum extenditur. Garc. supra. n. 27.

11 Grauior dubitatio est, an beneficium, quod fundator reliquit pro suis consanguineis, possit conferri illegitimis, & spuris, si alias ad beneficia consequenda dispensatione Pontificis habiles existant? Quia in re certum esse debet, si rescripto Pontificis legitimatus sit spurius, poterit, & debet ei beneficium conferri. Quia Pontificis legitimatione præstat in Ecclesiasticis rebus, quidquid præstatet vera naturalis legitimatione; quia est integra natalium restitutio quoad spiritualia? quale est beneficium: sic expressè Garcia 7. p. de benef. c. 15. n. 46. At si rescripto secularis principis legitimeretur, dubitant plures capaxne sit beneficii consanguineis fundatoris relicti? Quia legitimatione secularis principis solum facit legitimum quoad successiones, & honores temporales, non quoad beneficia, aliâque iura Ecclesiastica. Nihilominus credo supradictio spurio legitimatione à seculari principe beneficium conferri posse, & debet, si alias habilis sit ex dispensatione ad beneficia obtinenda. Nam esto secularis princeps solum legitime possit ad temporalia, & non ad spiritualia; at legitimationem in temporalibus concedens, illegitimum facit esse de familia, genere, & parentela fundatoris, & consequenter habilem reddit, vt dispensatione accedente beneficium possit obtinere, sic Garcia supra.

Secundo videtur certum, in Hispania beneficium relictum pro iis qui sunt de familia, cognatione, domo, genere, stirpe, seu parentela, posse, & debere dari filiis illegitimis naturalibus. Quia cum hi gaudeant nobilitate parentum. l. 1. tit. 11. part. 7. de eius genere, cognatione, & familia censentur. Garcia d. 7. p. de benef. c. 15. n. 49.

Tertio sit certum, illegitimos spurios ex parte matris capaces esse cuiusvis beneficii, & legati pro suis cognatis relicti. Quia respectu matris nulla datur incertitudo; ac proinde sunt de eius genere, & familia. Azuero conf. 24. à num. 37. Garcia num. 52.

12 Quapropter controversia solum est, an spectato iure communi illegitimus naturalis, & spurius ex parte patris capax sit beneficii relicti pro consanguineis fundatoris? Communis sententia affirmat spectanda esse verba instituentis; si enim verbis iuris vltus fuerit fundator, illegitimus in hac prouisione locum non habet: fecas si vltus fuit verbis naturæ, seu naturaliter cognationem significantibus: sic Perez de Lara lib. 2. de capell. & annuissar. cap. 2. à num. 25. Garcia 7. p. de benef. cap. 15. à num. 39. & 46. Quod si inquiras, quando censeatur fundator vti verbis civilibus, quando naturalibus? Respondeo vti verbis civilibus, quoties vltus fuerit nomine familie, generis, cognationis, stirpis, aut consanguinitatis. Quia hæc nomina à iure inuenta sunt. At verbis naturalibus vti, si descenditiam, & consanguineorum verbis vtatur, dicens instituendum esse aliquem ex suis descenditibus, vel consanguineis. sic Gonzalez gloss. 5. n. 121. Garcia supra n. 39. & 35. Regulariter autem semper præsumendum est verbis naturaliter significantibus vltum fuisse. Quia hæc in dispositione hominis attenduntur, quando aliud expressè non constat iuxta leg. fin. Cod. de his qui veniam arais leg. non aliter ff. de legat. 3. Et quia hæc interpretatio fauorabilior est ipsi illegitimis, & etiam fundatori, qui illos præsumitur amare. Deinde spectandus est communis modus loquendi, & an materia subiecta petat excludere, vel potius includere illegitimum. sic Gonzalez gloss. 5. à n. 123.

Ex quo ipse infert spurium, & illegitimum aliàs habilem admittendum esse ad capellania, & legatum relictum pro iis qui sunt de genere, & cognatione fundatoris. Nam licet hæc verba civilia sint, & ex illis videatur illegitimus exclusus: at quia ex communi modo loquendi, & materia subiecta non excluditur, ideo debet admitti, & placet mihi hæc doctrina, tamen Garcia dicta 7. p. c. 10. n. 53. contradicit.

13 Sed quo loco spurius, & illegitimus admittendus est ad legatum, donationem, capellania pro consanguineis fundatoris relictam?

Dicendum est, si concurrat in æquali gradu cum legitimo, nequam admitti posse, sic vt indubitatum firmat Gonzalez gloss. 5. n. 124. Garcia 7. p. de benef. c. 15. n. 53. circa finem. At si illegitimus proximior sit fundatori quolibet alio legitimo, censeat Garcia supra n. 47. & Zeual. q. 762. à n. 24. illegitimum præferendum esse stante dispositione testatoris, quod proximior consanguineus præferatur; quia ille illegitimus est consanguineus; & proximior. Quod si ex testatoris dispositione non esset obli-

gatio proximitatem eligendi, affirmare debent supradicti doctores illegitimum, & spurium eligi posse, quantumvis remotum, exclusis legitimis propinquiioribus, quia est æque ac legitimis consanguineis.

Cæterum oppositum probabilis existimo, nempe stantibus legitimis nequam eligi posse illegitimum, tamen si propinquoior sit. sic Peregrin. de fiduciis ff. de iur. 2. 2. n. 89. Man. Rod. 1. tom. sum. ap. 106. n. 8. ad finem. Ioann. Gutierrez. præf. quasi lib. 2. quæst. 67. circa finem. num. 4. Ratio est; quia legitimus remotior nobilior est quolibet propinquoior illegitimo. Deinde si stantibus legitimis possit electio esse illegitimo; quia omnes sunt æque de familia, possit illegitimus concurrentes in eodem gradu proximitatis cum legitimo eligi à patrono. Quia ipse solum tenetur eligere ex consanguineis fundatoris, qui proximior facit: potius autem nullum legitimum proximiorum esse illegitimo. Ergo nullus legitimus necessario præzeligitio est: quia qualitas legitimatis non constituit legitimum propinquoiorum; ac proinde præferendum illegitimo, inde conuenit cuiuslibet illegitimo etiam propinquoior præferendum esse: quia propinquoitas proueniens ex legitimatione quantumvis remota, vincit quamlibet propinquoitatem illegitimi. Et per hæc sit facta contrario fundamentum.



DISPUTATIO V.

De beneficiorum oneribus, & vtilitatibus.

**B**ENEFICIA sunt: onera beneficiorum, pluresque illorum vtilitates. Onus beneficiorum est fidei professionem facere, cum beneficium recipitur: officium diuinum quotidie recitare, choro assistere, in loco beneficii residere, ordines beneficio annexos suscipere. Vtilitas vero beneficiorum est fructum perceptio, exemptio à foro secularium iurisdictione à gabellis, & tributis, & tandem titulum concedere ad ordines recipiendos. De obligatione faciendi professionem fidei latè egimus 1. p. r. 4. de fide. d. sp. 1. p. n. 19. De assistentia in choro, officioque diuini recitatione, r. 7. dictum est. De fructuum vero perceptione, illorumque dominio, distributione, & alienatione. Tum in tract. de charitate, d. sp. de elemosyna. Tum tract. 12. plura diximus. De exemptione vero à foro seculari, immunitate à gabellis satis egimus r. 1. o. r. 12. De titulo, quem præbet beneficium ad ordines suscipiendos, r. de ordine agendum est. Restat ergo nobis specialiter agendum de obligatione residendi in loco beneficii, ordinesque beneficio annexos suscipiendi.

PUNCTVM I.

Qualiter beneficium residendam expostulet.

- 1 Duplex est beneficium, curatum, & simplex, & qualiter simplex residendam expostulet.
- 2 Beneficium curatum non solum iure positio, sed naturali diuino residendam expostulat.
- 3 Contrarium descendit immerito Catharinus.
- 4 Satisfit eius rationibus.
- 5 Non excusatur ab hac obligatione, esto beneficium modici valoris sit, neque ex eo quod conditorem habeat.
- 6 Iure item naturali diuino tenetur residere, quia beneficium habens curam animarum exteriorum possideret.

**B**eneficium duplex est, curatum, & simplex; vtrumque residendam expostulat iure ipso. At ex generali consuetudine beneficia simplicia libera sunt à residenda. Quia nullum aliud officium habent annexum præter horarum recitationem, quæ vilibet fieri potest: sic aliis relatis Flamin. d. rescript. lib. 1. q. 10. n. 66. & 67. Cæsar. de Grassis deest. 15. n. 3. Gonzalez ad reg. 8. Cancell. gloss. 5. n. 80. & gloss. 15. n. 26. Garcia de benef. 3. p. cap. 2. n. 3. Excipe tamen dignitates, & canonicatus Ecclesie Cathedralis, & aliquarum Ecclesiarum collegatarum, qui ex præscripto Concilii, aut specialibus statutis in suis Ecclesiis residere, & horis canonicis assistere tenentur (sub priuatione distributionum, & fructuum, de qua assistentia, tract. 7. d. sp. 3. d. 1. diximus).

2 Beneficium vero curatum, sub quo intelligi Episcopatum, dignitatem, cui est animarum cura annexa, & quolibet aliud parochiale beneficium, non solum ex iure positio, sed etiam ex iure diuino naturali; residendam expostulat: colligitur apertè ex Trident. sess. 6. cap. 1. & sess. 23. c. 1. de reform. ubi eadem statuitur præcepto diuino omnibus pastoribus animarum mandatum esse omnes (uas agnoscere, & sacramenta eis ministrare, factificium pro eis offerre, verbi diuini prædicatione eas pastore, ac tandem exemplo, aliisque mediis ad virtutem excitare, & in cætera munia pastoralia incumbere. Quæ vt præsententur, necessario

DE  
HASTI  
PALATI  
TOR  
II

excessatio presentiam corporalem illorum; qui ea prestare debent, expostulant; Cum autem ipsi pastores ex vi sui officij, & muneris ea prestare teneantur: sic sane corporaliter omnibus ad se debent. Nam licet aliquando per alios id rectius fieri possit, hoc non excusat pastores a natia obligatione, quam habent oves suas cognoscendi, regendi, & pascendi: si enim ipsi alius possent curam pro libito committere, non ministri pastores, & dispensatores, sed domini dicerentur. Sunt igitur obligati eis assistere: & ita tenent post alios antiquiores Couart. 3. *cap. 13. n. 9. Valent. 1. tom. disp. 10. q. 3. p. 1. Nauarr. cap. 25. n. 11. Salzedo pract. cap. 52. Garcia de benef. 3. p. cap. 2. n. 16. Azor. 2. p. l. 7. c. 4. q. 1. & 2. Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 29. num. 153. Valq. opusc. de benefic. cap. 4. §. 2. dub. 1. August. Barboza 3. p. de potest. ep. alleg. 53. n. 4.*

Constat huius receptae conclusionis defendit Catherinus in apoloq. de residentia contra Sorum, & Mirandum, iis rationibus permotus. Nullam in scriptura esse locum: ex quo haec obligatio colligatur: solum enim in scriptura habetur, quod debeant pastores populum sibi commissum pascere, quod sane fieri poterit per alios, sicut de facto fit, cum vrgenti necessitate pastores absint. 2. Saepo ob amplitudinem dioecesis assignatur episcopo coadiutor, cuius regimine, & administratione censetur ipse populum sibi commissum regere, cum tamen per se ipsum non regat. 3. solet episcopus plures parochiales Ecclesias suae dignitati annexas habere, quae per vicarios perpetuos, aut temporales regit, & non per seipsum; potest ergo obligationi regendi populum fieri satis, media interposita persona. 4. Christus Dominus non instituit dioeceses, & parochias, sed earum institutionem, & diuisionem Pontifici commisit: poterit ergo Pontifex in sua institutione dispensare & designat alicui dioecesim alteri regendam committere, & consequenter poterit a residentia liberare. 5. Si iure diuino beneficii curati obligati essent in suis beneficiis residere, non poterit Pontifex dispensare, sed solum interpretari, & declarare, quando cesset obligatio. Facta ergo interpretatio in vno casu, non erit necesse nouam interpretationem in alio simili expostulare, sed quilibet poterit superiori inquisito abesse.

4 Sed haec argumenta leuia sunt, vt à communi, & probata Trident. sententia recedamus. Ad 1. dico sufficienter colligi obligationem residendi ex officio pastoris, qui debet proprias oves agnoscere, ad virtutis officium suo exemplo promouere, eas sua presentia consolari; quae vt expressè dicit concil. d. cap. 1. sess. 23. nequaquam ab iis praestari, & impleti possunt, qui gregi suo non inuigilant, neque assistunt sed mercenarium more deserunt. Neque obstat quod aliquando ex vrgenti necessitate ab hac obligatione excusentur, & mediis mercenariis eis fiat satis quia id rectus ordo charitatis expostulat, obligationem tamen natiam, & propriam non tollit, sed suspendit. Eadem ratione ad 2. & 3. respondetur. Adde si episcopus per se obligatus non esset sacramenta ministrare in ecclesiis in quibus vicarios constituit, episcopus computatione illatum ecclesiarum non esset parochus, sed dominus, qui parochos constituit, neque in illis residere teneretur: Barboza 3. p. de potest. episc. alleg. 53. n. 78. Gonzalez gloss. 6. num. 97. & 98. Potest autem obligatus esse sacramenta ministrare, & tali obligationi sufficienter satisfacere vicarios designans, eo quod non possit per se omnibus ecclesiis inseruire, vt contingit in dioecesi Calagurritana, in qua episcopus est curatus fere omnium ecclesiarum parochialium, & huic obligationi satisfacit vicarios designans. Gonzalez gloss. 6. n. 65. Ad 4. nego Christum Dominum non instituisse dioecesis, & parochiam in genere, cum episcopatus, & parochiale beneficium instituit: concedo tamen, diuisionem dioecesium, & parochiarum non fecisse, sed Pontifici faciendam commisisse: at inde non inferitur posse Pontificem assignata alicui dioecesi, & episcopo collata ab obligatione residendi pro libito liberare. Quia haec obligatio (supposita assignatione, & beneficii retentione non ex Pontifice, sed ex iure diuino naturali prouenit. Ad 5. dico grauem esse inter doctores controuersiam, an in obligatione iuris diuini cadat dispensatio, vel solum interpretatio; de qua late diximus, 3. part. tract. 3. de legib. disp. 6. p. 2. & 3. ubique, vt probabilius, resoluimus non cadere dispensationem, sed interpretationem: sed non inde inferitur ad similem casum propria autoritate fieri posse: quia licet casus sit similis, circumstantiae extinsecæ forte similes non sunt: negari enim non potest saepe ob multiplicatas causas absentiae graui inconuenientia sequi, si absentia concedatur: ideoque causa, quae aliquando reputata fuit legitima, alio tempore illegitima, & insufficientis erit, eo solum quia multiplicatur, & ex multiplicatione inconuenientia sequatur. Debet ergo semper iudicium, & declaratio superiori remitti. Adde esto concederemus (quod non est concedendum facta in vno casu authentica declaratione, posse beneficiatum ad alium similem casum ea declaratione vti, absque eo quod aduersus ius diuinum procederet ad cum iure positiuo ecclesiastico casum sit, ne longo tempore à suo beneficio absit absque approbatione superioris legitima manifestè inferret ius ecclesiasticum violatum.

5 Ab hac obligatione non excusatur beneficiatus curatus. *Ferd. de Castro Sum. Mor. Pars II.*

etiam si beneficium modici valoris sit: Quia modicus valor non tollit, quin populus regimine, & administratione indigeat, colligitur ex cap. conuenerunt, de clerico non residente & tradit Rebuff. in tract. nominat. q. 9. n. 27. Valer. Reginald. in practi. fori penitent. lib. 30. tract. 3. n. 294. vers. si obicitus. Aug. Barboza 3. p. de potest. episc. allegat. 53. n. 70. Neque item videtur excusatus, etiam si coadiutor cum futura successione ei à Pontifice concedatur: quia ob coadiutoris assignationem non eximitur parochus à cura, & obligatione beneficii, sed solum censetur in eius leuamen: sic pluribus decisionibus comprobatur Garcia 3. p. de benefic. c. 2. n. 173. & 178. Gonzalez gloss. 5. §. 9. num. 30. Præterea in practi. episcop. 2. p. cap. 3. num. 27. Summa bullarum verbo residentia in vers. præter summistas. Vgolin. de officio episcopi cap. 15. §. 3. ad finem, & cap. 54. numer. 3. Barboza alleg. 53. numer. 97.

6 Sed quid dicendum de beneficio curam animarum exactorem duntaxat habente, nempe visitare, corrigere, excommunicare, suspendere, & interdiceret; An, inquam, de illo pronus teneatur iure diuino naturali in suo beneficio residere: Respondeo iure naturali diuino hanc esse obligationem; quia ius diuinum naturale obligat quemlibet suum munus, & officium exequi, nisi necessitas, vel maior utilitas eum excuset: si alius relatis Valq. opusc. de benefic. cap. 4. §. 2. art. 2. dub. 1. n. 179. Azor. 2. part. l. 7. c. 4. q. 3. Et facit pro hac parte, quod huiusmodi beneficia iurisdictionalia comprehenduntur sub bulla Pii V. de residentia parochorum: quae incipit capientes. Deinde capellanus, & coadiutores Rectorum, quamuis beneficia non habeant, quia nomine suo non inferuntur, sed alieno obligati sunt residere, quia alias satisfacere muneris suo non possunt. Gonzalez gloss. 5. §. 9. num. 17. Riccius resolut. 393. ampliat. 5. Barboza allegat. 53. num. 78. Garcia 3. part. cap. 2. num. 164. & seqq. Quod à fortiori procedit in vicariis, & coadiutoribus perpetuis autoritate Romani Pontificis designatis. Lessius lib. 2. cap. 34. num. 160. Garcia Gonzalez, Barboza supra, & in declarat. concil. num. 8. & in sine num. 10.

PUNCTVM. I I.

Quo in loco beneficiatus residere debet, vt obligationi residendi satisfaciatur.

- 1 Proponuntur certa, tum de episcopis, tum de parochis.
- 2 Quid de habente duas parochias.
- 3 Quid de habente parochiale beneficium cum canonicali?

2 **C**onstat in loco beneficii residentiam esse debere, sed qualiter hoc intelligatur est aliquis dubitatio, tum in Episcopis, tum in parochis. Episcopi namque non solum debent in dioecesi residere, sed insuper hortatur concilium sess. 23. cap. 1. ne tempore aduentus, quadragesimæ, natiuitatis, resurrectionis Domini, & pentecostes, & corporis Christi à sua Ecclesia cathedrali absint, nisi Episcopalia munia in sua dioecesi aliò vocent. Non tamen videtur peccatores mortaliter, si in sua dioecesi residentes illis temporibus à suis Ecclesiis aliquando absint; quia concilium non præcipit, sed admonet, & hortatur.

Parochus item debet intra limites suae parochiae habitare, quod si ibi domum non habeat propriam, compellendus est conducere; neque satisfaciatur nisi ita prope sit vt moraliter intra limites suae parochiae habitare censetur colligitur ex 21. & 25. declarat. quam adducit Garcia 3. p. ca. 2. n. 179.

2 Qui vero duas parochias vnitas habuerit, debet in digniori residere quod si non constet quæ sit dignior: in frequentiori si vero vna sit extra, alia intra ciuitatem, in ea quæ est intra residere debet: sic decilum referunt Garc. supra Barboza in remission. conc. ad dict. cap. 1. sess. 23. & 3. part. de potest. episcop. n. 53. num. 73. Si vero non constet quæ sit principalior, quæ frequentior, & vtraque extra ciuitatem existat poterit in qua ma iuerit residere. Garcia dicto cap. 2. num. 179. in 16. declarat. & 12. part. cap. 2. num. 45. Barboza de potest. episcop. allegat. 53. num. 82. Si autem Ecclesia sit in loco vbi minor pars parochianorum habitat, & maior pars habitat longè in oppidis, parochus debet prope Ecclesiam habitare, & alijs succurrendum est iuxta loci antiquam consuetudinem. Garcia supra in 20. declarat. Barboza num. 71.

3 Verum si quis ex dispensatione habeat parochiale beneficium & canonicatum seu dignitatem in cathedrali, teneatur in parochiali, esto non sit beneficium dignius, residere: quia animarum cura præcipue spectanda est, & residens in parochiali lucratur fructus, non tamen distributiones canonicatus seu dignitatis: sic statutum est à Pio. V. in sua constitutione incipiente Capientes edita Ibi. Julij 1568. & est in ordine 64. notauit Gonzalez gloss. 9. num. 70.

Garcia 12. p. de benefic. cap. 2. numer. 40.

\*\*

## PUNCTUM III.

## Quibus pœnis non residentes afficiantur.

- 1 Expenditur Trident. decretum de hac re.
- 2 Conciliantur loca Trident. relata.
- 3 priuatio fructuum spectato iure Trident. habet locum ante sententiam.
- 4 Spectato iure naturali non caret probabilitate obligationem non esse restituendi fructus perceptos in absentia.
- 5 Quibus hi fructus restitui debeant.
- 6 Quæ alia pœna sint episcopis, & parochis non residentibus statuta.
- 7 priuatiuè beneficiis parochus non residens. Proponitur dubitandi ratio.
- 7 Examinatur sententia glossæ, Et quid nobis videatur expendimus.
- 9 An post Trident. hæc priuatio beneficiorum ipso iure locum habeat? Probabilis est non habere.
- 10 Qualiter episcopus procedere debet aduersus parochos non residentes.
- 11 An personaliter citari debeant, an satis sit, si vocentur per edictum.
- 12 Sub pœna excommunicationis non potest parochus prohiberi ne ultra biduum absit.

**S**Tat de hac re decretum Trident. sess. 6. c. 1. de reformat. ubi in primis renouat antiquos canones aduersus episcopos, aliosque curam animarum habentes non residentes promulgatos, & insuper aduersus episcopos absque legitima causa per sex menses continuos extra suam diocesim morantes priuationem ipso iure imponit quartæ partis fructuum vnius anni. Quod si per alios sex menses in huiusmodi absentia perseverauerint, alterius quartæ partis similem priuationem repetit, crescente vero contumacia vi, seueriori factorum canonum censura subiciantur. Metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, Metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens pœna interdicti ingressus ecclesiæ copioso incurrenda infra tres menses per litteras, seu nuntium Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipsos absentes, prout cuiusque maior aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ sedis autoritate animaduertere, & ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, si cut in domino nouerit salubriter expedire. Item sess. 23. cap. 1. de reformat. inquit concilium si quis (quod vniquam nunquam eueniat contra huius decreti dispositionem abfuerit præter alias pœnas contra non residentes sub Paulo III. impostas & innouatas, ac mortalis peccati reatum quem incurrit, eum pro rata temporis absentia fructus suos non facere, nec iura conscientia, alia etiam declaratione non secuta, eos sibi deimere posse, sed teneri aut ipso cessante per superiorè ecclesiasticum illos fabricæ ecclesiarum, aut pauperibus loci erogare prohibita quacunque conventionis compositione que pro fructibus male perceptis appellatur. Ex qua etiam prædicti fructus in totum, aut pro parte ei remitterentur, non obstantibus quibuscunque priuilegiis cuiuscunque collegio, aut fabricæ concessis. Adidque deinde concilium, Eadem omnino quoad culpam, amissionem fructuum, & pœnas de curatis inferioribus, & aliis quibuscunque qui beneficium aliquod ecclesiasticum curam animarum habens obtinent, sacrosancta synodus declarat, & decernit. Et paulo inferius subdit. Quod si per edictum citari etiam non personaliter contumaces fuerint, liberum esse vult ordinariis per censure ecclesiasticas, & sequestrationem & subtractionem fructuum, aliisque iuris remedia, etiam vsque ad priuationem compellere. Neque executionem hanc quolibet priuilegio, licentia, familiaritate exemptione, etiam ratione cuiuscunque beneficii, pactione, statuto, etiam immemoriali, qua potius corruptela censenda est, siue appellatione, aut inhibitione etiam in Romana curia, vel vigore Eugeniana constitutionis suspendi posse.

Præter supradictum decretum Trident. stat. bulla Pij IV. quæ est 115. & incipit, In suprema, publicata die 4. Decembris 1564. qua cauetur bona patriarcharum, & episcoporum, cuiuscunque quantitas, motuotum extra suas ecclesias contra concilium Tridentinum spolia ad cameram apostolicam pertinere. Ad cuius executionem, idem Pius IV. in alia bulla, quæ incipit, Cum tam par sacrosanctum, auditorem suæ cameræ iudicem designauit.

Ex supradictis verbis concilii de pœna episcoporum non residentium disponentibus, oritur prima difficultas qua ratione coherere possit decretum sess. 6. cap. 1. cum decreto sess. 23. c. 1. de reformat. Nam in sess. 6. cap. 1. ableni episcopo ultra sex menses continuos subtrahitur quarta pars fructuum vnius anni & si in culpa perseverat, repetitur eadem pœna. Contumacia verò crescente potest pontifex procedere vsque ad episcopatus priuationem. At sess. 23. cap. 1. ipso iure subtrahuntur omnes fructus temporis absentie pro rata corre-

spondentes: cessat ergo subtractio quartæ partis, sed facile hæc difficultas dissoluitur. Nam textus relatus in c. 1. sess. 6. loquitur de fructibus tempore residentie acquisitis: in ergo fructibus quoad quartam partem ableni episcopus priuati debet, fructibus vero temporis absentie correspondentibus interesse, & in totum. Et idem est dicendum de curatis, aliisque beneficiis curam animarum habentibus vt satis innuit declaratio sanctæ congregationis relata à Garcia 3. part. cap. 2. n. 3. statuens eadem interualla quoad subtractionem fructuum seruanda esse in curatis inferioribus, ac in episcopis, quando proceditur quoad subtractionem fructuum rite acquisitorum, secus vero quando proceditur quoad ad subtractionem fructuum, quos pro rata temporis absentie suos non fecerunt.

Secundo dubitabis? habeatne locum hæc priuatio fructuum temporis absentie correspondentium absque ulla iactentia saltem declaratoria criminis? Et quidem, spectato iure positio Trident. nemini dubium esse potest hanc priuationem nulla sententia declaratoria indigere, vt satis indicatur illis verbis, Fructus suos non facere, nec iura conscientia aliam etiam declaratione non secuta, illos sibi deimere posse & ita, vt indubitatum tradunt Valquez opus. de benef. cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 4. sub num. 152. Garcia 3. part. de benef. cap. 2. n. 26. Azor. 2. part. instit. lib. 7. cap. 6. quaest. 6. Lessius lib. 2. cap. 14. dub. 29. num. 157. Augustinus Barbosa alleg. 53. num. 101. Adcoque ipsi fructibus ableni episcopus, vel curatus priuati, vt nec locum habeat ulla compositio per bullam cruciatæ, aut cuiuslibet alterius priuilegij, Valq. Barbosa, Garcia Lessius supra.

Quapropter controuersia solum esse poterat; an in seculo Trident. spectato, inquam, iure naturali teneatur beneficiarius curam animarum habens fructus restituere in conscientia ante villam sententiam, si non recedat? Affirmat Couar. lib. 3. cap. 1. §. 13. n. 9. Valq. d. dub. 4. sub. n. 153. vbi alios refert. Montan. quia datum ob causam, illa cessante cessat, ac fructus beneficii propter officium datur, & in illius stipendium est, de re script. in 6. Ergo officium non exequens fructus lucrari non debet. Neque valet, si dicas te per aliam exequi officium, per executionem namque alterius te laborantem non constituit. Ergo non te constituit capax fructus percipiendi: cum illos percipere debeas non ob alium laborem, sed proprium: quia iure stipendium non alteri, sed tibi designatum. Subdit vero Valq. & bene idem esse dicendum: si residens in beneficio pete ipsum non deseruias; quia fructus ob residentiam vtiliter, & fructuosam conceduntur. Tamen si iure positio residens in beneficio, & officium non exequens fructibus ipso iure non priuatur. Nihilominus non videtur probabilitate carere (sedulo iure positio) nullam tibi esse obligationem restituendi fructus in absentia perceptos, sic docet Panorm. in cap. 1. de celebr. missar. Siluest. verbo clericus. 4. q. 23. Rocella eod. n. 23. Azor. 2. part. instit. moral. lib. 7. cap. 6. q. 6. Fauerque Trident. sess. 6. cap. 1. de reformat. statuens his ablenibus quartam partem subtrahendam esse. Si igitur iure ipso naturali omnes fructus tempore absentie correspondentes debent restituere, omnes subtrahendi essent, & non quarta pars tantum. Quod si dicas loqui concilium de subtractione fructuum rite perceptorum, id non constat, neque iure probari potest. Ratio vero ea est; quia fructus beneficii concedi videntur non solum ob officium prælatum sed etiam ad sustentationem clericum in partem domini assumpti, ne contra eius statum mendicare cogatur; alia si ob officium tanquam ob causam adæquatam fructus concederentur, cessante officio etiam absque ulla culpa fructus cessare deberent: dantur ergo fructus non solum ob officium, sed etiam in sustentationem illius, qui Dei minister est constitutus. Ergo quamuis cesset officium, non cessat causa legitima hos fructus percipiendi. Adde fructus, spectato iure naturali, conceduntur sub obligatione exercendi officium, non tamen sub conditione, vt officium exerceatur. Ergo quamuis officium non exerceatur acquiruntur beneficiario. Deinde ipsemet Valquez concedit: si officium diuino recitas, partem fructuum illi officio correspondentem te retinere posse, & solum esse obligatum restituere eam partem, quæ residentie vili correspondet, cum de facto non resides, vel residens, non laboras. Ergo etiam debet concedere eam partem fructuum te retinere posse, quæ correspondet aliis officiis, que in absentia tui beneficii exerceat partes, quæ cum plura sint vix relinquuntur pars aliqua, quæ ob omnium officium in loco beneficii restitui debet.

Tertio dubitabis, quibus debeas restituere hos fructus ob non residentiam? Respondeo, si episcopus es, ecclesiis vniuersis diocesis, vel pauperibus dare teneris, si parochus, ecclesiæ beneficii, vel pauperibus illius loci sic cauetur in Trident. sess. 23. c. 1. & addendi est ex sacra congregatione si pauperes intra limites parochiæ non adsint, neque ecclesiæ parochialis indigent adhuc ecclesiæ applicandi sunt illi fructus, quia potest in dies indigere, sic Garcia 3. part. de benef. c. 2. num. 31. Barbosa alleg. 53. num. 203.

Quarto dubitabis, quæ alia pœna episcopis, & parochis non residentibus iure antiquo statuta sunt oportet eorum esse agnoscere, si quidem Trident. in supra decret. sess. 6. c. 1. & sess. 23. de reformat. eas renouat, De episcopis nullæ videntur esse ipsa iure

jure statuta. Nam textus loquens de Episcopis 7. q. 1. depofitionis, reclusionis que in monasterium pœnam imponant; ferendum tamen non latam. c. pervenit. 7. q. 1. & aliis. Et idem constat ex 100. tit. de clericis non residentibus.

7 De aliis vero beneficiis inferioribus curam animarum habentibus est difficultas, an ipso iure ob non residentiam privati sint beneficii? Difficultatem fecit text. in cap. extirpanda. §. qui vero de prœbendis. vbi Innoc. III. in hæc verba scribit. Qui vero parochialem habet Ecclesiam, non per vicarium, sed per se ipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius Ecclesie cura requirit, nisi forte dignitati, vel prœbendæ parochialis Ecclesia sit annexa, in quo casu concedimus, vt qui talem habet prœbendam, vel dignitatem, cum oporteat eum in maiori Ecclesia deservire, in ipsa parochiali Ecclesia idoneum, & perpetuum habeat vicarium canonicè institutum, qui, vt prædictum est, congruentem habeat de ipsius Ecclesie prœbentibus portionem, aliquam illa se sciat auctoritate huius decreti priuationem liberè auferenda, qui velit, & possit quod dictum est adimplere. Ex quo textu videtur colligi, parochum abentem priuationem esse ipso iure beneficio, cum liberè alius confectri possit. At in cap. ex tua. cap. clericos. cap. inter quatuor, & aliis. de cleric. non resid. solum per sententiam post monitionem, & citationem priuandum venit.

8 Gloſſa ergo in suprad. e. verbo priuatum, varias huic textui explicationes adhibet. Primo dicit subintelligendum esse post monitionem sic absentem ipso iure priuationem esse, & non antea: hic textus corrigat plures textus relatos in tit. de clericis non residentibus. Sed hoc inconueniens non curatur ex hac explicatione; si quidem ex text. in cap. tuos. cap. clericos. cap. inter quatuor. de clericis non resid. non priuatur absens beneficio ipso iure post admonitionem, sed venit priuandus. Ergo ob huiusmodi defectum non debet parochiali priuari: si quidem assignatio ad suspensionem deuoluitur. Quapropter credo probabilius priuationem non extendi ad habentem dignitatem, vel prœbendam, cui est parochialis annexa, sed solum ad eum, qui per se ipsum beneficio parochiali deservit debet; illa enim verba, nisi forte, &c. per parenthesis dicta sunt, & priuatio ad primum casum solum refertur: sic gloſſ. ibi. Garc. 3. p. de benef. 2. n. 133. relata ergo ad primum casum ipso iure imponitur: neque inde fit huiusmodi textum corrigere textus relatos in tit. de cleric. non resid. sed illis in suo robore relatis quoad beneficia feruitura, addidi hic textus priuationem ipso iure pro parochialibus. An vero hanc priuationem præcedere debeat monitio? Affirmat Innoc. & negat Abbas ibi: sed distinctio, quam tradit Azot. 2. p. lib. 7. c. 6. q. 4. mihi probatur, nempe non esse opus monitione, si deictum absentis est notorium. Item si manifestum sit, parochum pro derelicto beneficium habere, secus vero si hæc non constant.

9 Grauior tamen dubitatio est; an hæc pœna priuationis ipso iure locum habeat post Trid. decretum? Videtur habere, eo quod Trid. sess. 6. cap. 1. non tollit pœnas non residentibus impositas, sed potius illas renouat, vt constat ex illis verbis: Statuta sancta synodus antiquis canonibus, qui temporum, atque hominum iniuria penè in desuetudinem abiierunt, aduersus non residentes promulgatos, innouare, quemadmodum virtute presentis decreti innouat.

Ceterum existimo temperatam esse hanc pœnam aliqua ex parte, quatenus in suprad. c. 1. sess. 23. liberum Episcopo relinquunt post citationem factam abentes contumaces per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem, & subtractionem fructuum, aliisque iuris remedia etiam vsque ad priuationem compellere. Ergo manifestum est facta citatione non esse ipso iure priuatos; cum liberum sit Episcopo post citationem vsque ad priuationem eos compellere: si enim ipso iure priuati essent, deberet Episcopus ad declarationem procedere, neque liberum illi esset aliis remedijs vt. sic Flamin. lib. 1. de resig. cap. 20. n. 61. & decimum refert Garcia 3. p. de benef. c. 2. n. 139. Aug. Barbosa allegat. 53. n. 105.

10 Quinto dubitabis qualiter procedere debeat Episcopus aduersus parochos non residentes? Plures censent post citationem, seu monitionem censuris Ecclesiasticis compellendos esse, deinde sequestratione, subtractioneque fructuum, ac tandem beneficij priuatione, neque posse hunc ordinem inuerrere, cum sic appositus à concilio: concilium namque non liberum reliquit Episcopo hunc ordinem inuerrendi, sed solum illi liberum reliquit, vt seruato hoc ordine per censuras Ecclesiasticas, & sequestrationem fructuum, aliisque iuris remedia vsque ad priuationem procederet: sic à Rota refert decimum Praxis Episcopalis 2. p. c. 4. n. 96. in fine, & tenet Aug. Barbosa 3. p. de benef. Episc. alleg. 53. n. 105. Vgolin. de officio Episc. c. 15. §. 4. n. 4.

Ford. de Castro Sum. Mor. Pars II.

At probabilius credo, non esse obligatum Episcopum omnia illa remedia illo ordine tentare, sed posse vti quo maluerit, vel censuris, vel subtractione fructuum, vel beneficij priuatione; quia in suprad. textu concilij non cauetur illum ordinem esse seruandum. Non est ergo hæc obligatio Episcopo imponenda; & ita tenet, refertque decimum Garcia 3. p. de benef. cap. 2. n. 139. Aug. Barbosa in declar. ad suprad. cap. 1. n. 16. ibi arbitrio Episcopi relicto est qua via, & quo remedio ex his vti voluerit contra non residentes.

Sed est omnino notandum, post factam monitionem sub censura, vel sub pœna subtractionis fructuum, beneficijque priuatione sex menses transire debere, vt possit executioni mandari, ita vt post quemlibet terminum pœna sex menses transant; alijs nulla erit executio. colligitur ex c. ex tua, de clericis non residentibus, & ibi Abbas, & pluribus decisionibus Rotæ comprobatur Garc. d. c. 2. à num. 154. & 156. Barbosa 3. p. de benef. Episc. alleg. 53. n. 105.

11 Sed inquires: an personaliter citari absens debeat, an sufficiat vocari per edictum? Respondeo, si fraudulenter se absentat, ita vt inueniri non possit, sufficiens erit per edictum tripliciter promulgatum cum vocare dato post cuiuslibet edicti publicationem termino competente ad comparandum, spectata qualitate personæ, & loci distantia: iuxta textum in cap. ex tua, de cleric. non residentibus. Si autem inueniri facile possit, sufficiens erit cum semel personaliter citare, seu monere, iuxta text. in cap. inter clericos. cap. inter quatuor. ed. tit. sic Azot. 2. p. infl. moral. lib. 7. cap. 6. §. 5. imo aliquibus placet iuris scilicet, vbi commoretur, etiam si extra regnum, & in partibus Indiarum, citandum personaliter esse: iuxta supradictos textus. sic Zueallos com. contra com. quæst. 809. num. 17. Garcia 3. part. cap. 2. n. 155. referturque à Rota sic fuisse iudicatum. Existimat tamen Garcia in citatione personali non esse opus expectare semestre post terminum citationis ad executionem pœnæ, sed statim exequi posse, sed nullum adducit fundamentum: illud autem videtur esse posse: quia semestre solum est datum, cum per edictum vocatur qui se fraudulenter absentat, cap. ex tua, de clericis non resid. ac cum personaliter citatur, c. clericos, c. inter quatuor, semestre non datur, sed solum dicitur beneficiis absentes, si moniti, vel expectati non redierint, & iuste impediti non sint, suis Ecclesijs priuari debere: contenti Gloſſa c. quoniam. vt licet non constet in verbo canonibus.

Nihilominus Barbosa alleg. 53. n. 105. censet post quamlibet monitionem terminum expectandum esse semestris, quod videtur indicare illa verba, vel expectati, & placet mihi hæc sententia, quia benignior.

Neque est necessarium citationem esse solemnem, & iudicialiam, sufficit si sit simplex, & extrajudicialis; quia ad huiusmodi citationem, seu monitionem, spoliatio de facto subsequi potest, vt constat ex cap. ex parte, cap. ex tua, cap. qualiter, de clericis non residentibus, & tradit Abbas dicto cap. ex parte. n. 4. Felin. cap. 2. sub num. 3. de resig. Gregor. Lopez leg. 16. tit. 16. part. 1. verbo tollere; & alijs relatis Garcia 3. p. de benef. cap. 2. numer. 130.

12 Deinde aduerte, nequaquam posse Episcopum sub pœna excommunicationis late sententiæ prohibere parochum; ne vltra bidduum à sua Ecclesia abistit illo inconsulto: ad summum enim sub aliqua pœna leui pecuniaria id prohibere poterit; compulso enim per censuras, subtractionemque fructuum non conceditur Episcopo nisi aduersus absentes contumaces: & ita tenet, & decimum refert Aug. Barbosa in declar. concil. n. 15. ibi Episcopus potest prohibere parochum sub pœna pecuniaria arbitraria, qua tamen dimidiam decimam non excedat, ne vltra bidduum à sua Ecclesia possint abesse, non tamen id prohibere potest sub pœna excommunicationis lata sententiæ.

Tandem aduerte, executionem pœnarum contra Episcopos, & parochos non residentes suspendi non posse vilo priuilegio, exemptione, aut statuto, aut appellatione interposita, quæ solum effectum deuoluntium habet, non suspensiuum, sic concil. sess. 23. c. 1. vbi quod si per edictum, & alijs relatis notauit Garc. 3. part. de benef. c. 2. à n. 161.

Hucusque diximus de pœnis impos. & imponend. Episc. & parochis non residentibus. Nam de pœnis impostis canonicis, & dignitatibus Ecclesiarum cathedralium, aliorumque beneficiorum residentiam expostulantibus, diximus tract. 7. dist. 3. p. 6.

PUNCTUM IV.

Quæ sint legitima causæ excusantes Episcopos, & parochos à residentia.

- 1 Trimestris absentia Episcoporum conscientia concilium remittit.
- 2 Ultra tres menses quid statuit concil.
- 3 Quid pro curatis.
- 4 Expenduntur causæ legitima absentia.
- 5 Cardinales Episcopi ob assentiam in Romana curia excusari à residentia in suis Episcoparibus aliqui affirmant.

- 6 Verius est oppositum.
- 7 Apponitur quadam limitatio.
- 8 Quid dicendum de officio cancellarij, penitentiarij, collecto-  
ris, auditoris, &c.
- 9 Qualiter ob officium regij praesidis, confessorij, consiliarij execu-  
tarij a residentia possint.
- 10 Quid dicendum de officio inquisitoris generalis,

**C**um Episcopi solum duobus, vel tribus mensibus per an-  
num absint, remittit concilium sess. 23. c. 1. eorum con-  
scientiae iudicare, an ex legitima causa absint. Solum aduerto le-  
uiorem causam ad hanc absentiam breuem requiri, quam si  
longiori tempore continuaretur. Quod vero Sotus lib. 10. de iust.  
q. 3. art. 4. dicit, & cum eo alij doctores, ad hanc absentiam hone-  
standam sufficere, si fiat animi recteandi causa, consanguineos, vel  
amicos iniuendi, non satis mihi probatur. Hanc enim causam  
ad mensum vnum putarem sufficientem, raro ultra. Quia satis  
necessitati natura illo spatio prouideret, sic Valq. opusc. de benef.  
c. 4. §. 2. art. 1. dub. 3. n. 147.

2 Si vero ultra tres menses in toto anno absentia protogan-  
da est, decernit concilium nequam Episcopo licere, nisi  
Christiana charitas, vrgens necessitas, debita obedientia, ac  
euidens Ecclesiae, vel reipublicae utilitas exigant. Et insuper a  
Romano Pontifice, vel Metropolitanano, vel eo absente suffra-  
ganeo Episcopo antiquiori residente, causae legitimae absentiae  
in scriptis approbentur, nisi cum absentia incidit propter  
aliquid munus, & reipublicae officium Episcopatus adiuu-  
ndum, quod quia notorium est, & interdum repentinum, hac  
approbatione non indigebit. Ad eundem scilicet Metropolitanum  
vel illo absente antiquiorem Episcopum residentem pertinebit  
prouidere, vt prouinciales Episcopi resideant, & penes canonicis  
compellantur.

3 Pro curatis vero, aliisque quibus animarum cura ob benefi-  
cium commissa est, statuit concilium supra, sess. 23. c. 1. vt quan-  
doque causa prius per Episcopum cognita, & probata abesse  
contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum  
cum debita mercedis assignatione relinquat. Discedendi autem  
licentiam in scriptis gratulque concedendam vtra bimestre tem-  
pus, nisi ex graui causa non obtineant.

4 Prima causa legitimae absentiae a concilio designata est  
Christiana charitas, quando nempe Episcopi industria, & praesentia  
necessaria esset ad inimicitias, grauesque discordias se-  
dandas, alicuius populi graui peccata vitanda. Sed cauendum  
est, ne id fiat cum notabili Ecclesiae propriae detrimento sic To-  
ler. sum. lib. 5. c. 4. Aug. Barboia alleg. 53. n. 6. Secunda causa est  
vrgens necessitas, quae tum ex infirmitate, tum ex alio impedi-  
mento extrinseco nasci potest. Tertia est debita scientia illius  
qui praecipere potest. Quarta est euidens Ecclesiae, vel reipub-  
licae utilitas, quae causa qualiter intelligenda sit, vt possint  
Episcopus, & parochos a residentia exulare, collige ex iis quae  
diximus tract. 7. disp. 3. punct. 9. per plures §§. Solum est aduer-  
tendum archi. vinculo Episcopos, & parochos ad residen-  
tiam teneri, quam canonicos cathedralis Ecclesiae: ideoque  
non quae libet causa exculat canonicos a residentia, exulare  
valet parochos, & Episcopos, qui iure diuino naturali residere  
tenentur.

5 Solum de Cardinalibus Episcopis restat examinandum,  
an ob assistentiam in Romana curia exculentur a residentia in  
suis Episcopatus. Aliqui doctores canonicis affirmant, quos  
refert, & sequitur Barb. alleg. 51. num. 21. Gonzal. gloss. 24. n. 128.  
Mouentur, quia Cardinales Pontifici assistunt, illiusque sunt  
consiliarij pro vniuersalis Ecclesiae regimine. Ergo eorum assis-  
tentia in Romana curia cedit in euidencem Ecclesiae utilitatem.  
Deinde spectato iure communi tenentur in curia apud Summum  
Pontificem residere. c. bona. el. 1. de postul. pralat. c. 2. de cler.  
non resid. ita vt absque expressa licentia Pontificis non se possint  
a curia absentare, Ergo sufficienter a residentia in suis Episcopatus  
exculantur.

6 Nihilominus dicendum est ex vi Cardinalatus neminem  
exculari a residentia sui Episcopatus: videtur decimum a Trid.  
sess. 23. cap. 1. de reformat. ibi etiam si sancta Romana Ecclesia  
Cardinales sint, obligari ad personalem in Ecclesia, vel dioecesi  
residentiam. Quapropter antiquo iure nullus Cardinalis eligi po-  
terat in Episcopum, eo quod ratione Cardinalatus debebat Romae  
assistere, quod compati non poterat cum assistentia debita  
Episcopatus: si tamen aliquando Pontifex alicuius Episcopi  
Cardinalis consilio, & industria indiget ad causas decidendas,  
negotiaque grauia pertractanda, quae aequè bene expediti non  
possunt per alios Cardinales, non Episcopos, poterit a residentia  
eum exulare. Secus vero, si aequè bene negotia per alios  
expediti possunt, vt regulariter contingit. sic Caietan. 2. 2. q. 185.  
art. 5. Sotus lib. 10. de iust. q. 3. art. 4. Azor. 2. p. infir. moral. lib. 7.  
cap. 4. q. 7. Valq. opusc. de benef. cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 2. num. 141. c.  
in fine.

7 Limitati haec doctrina potest, nisi Episcopatus ita Romae  
vicinus sit, vt Romae assistens Cardinalis censetur in illo assis-  
tere, maxime si negotijs sui Episcopatus personaliter inuigilat,  
& non tantum per vicarium, quia iis circumstantiis assistentia

Romae videtur causam legitimam praebere absentiae: sic alius relatus  
Valquez supra.

8 Ex his inferitur. Primo qualiter ob officium vicecancellari-  
rij, penitentiarij, auditoris camerae, Rotae, thesaurarij, cano-  
toris, & similia exculati possit Episcopus, vel parochus a re-  
sidentia. Et dicendum est, nequamquam exculati possit, si alij ad-  
sint, qui aequè bene hac officio praestare possint. Nam cessante cau-  
dente Ecclesiae, vel reipublicae utilitas in eorum absentia: sic re-  
latus Caiet. & Sor. tradit Azor. lib. 7. cap. 4. quae 5. Valquez d.  
dub. 2. n. 141. cum aliis. Idem dicendum est de officio subcolle-  
ctoris apostolici, non exculare Episcopum, vel parochum a re-  
sidentia; si quidem per alios legitime praestari potest. Gonzalcz  
gloss. 6. n. 266. Aloyf. Riccius resolut. 393. n. 4. Barboia alleg. 53.  
num. 88.

9 Secundo inferitur ob officium Regij praesidis, confessorij,  
consiliarij, Proregis; & similia fas non esse Episcopo, vel pa-  
rocho a sua Ecclesia, vel dioecesi abesse, nisi forte ea sit homi-  
num penuria, vt non inueniatur qui hac munera legitime praes-  
tare possit. Nam hoc inuenio absentia Episcopi non cedit in  
euidencem reipublicae utilitatem. Azor. 2. p. infir. moral. lib. 7. c. 4. q.  
6. Valq. opusc. de benef. c. 4. §. 2. art. 1. dub. 2. n. 140. Aug. Barboia alleg.  
53. n. 17.

Dices Episcopus minori stipendio, quam alios, hac munera  
exercere, & cum maiori splendore, Ergo ob hanc rationem pote-  
rit Rex illos eligere. Respondeo cum Valq. id leuis considerationis  
esse: quia cura animarum diuinitus humanoque splendori est praes-  
ferenda: praecipue cum absque illa humana auctoritate officia  
possint rite & legitime exerceri.

10 Tertio inferitur quid sit dicendum ob officium inquisi-  
toris generalis? Valq. loco allegato, dub. 2. num. 139. credit ob  
hoc officium legitime Episcopum a residentia exculari: quia  
vix hoc officium per alium, quam per Episcopum potest praes-  
tari. Sed contrarium probabilis existimo, cum in Hispania  
officium hoc non Episcopi saepe commissum sit, & ab eisdem  
legitime praestitum. Deinde officium inquisitoris non exculat  
parochum a residentia. Ergo neque officium maioris inquisito-  
ris exculat Episcopum: & ira tenet, & decusum refert Gon-  
zal. gloss. 6. n. 265. c. gloss. 43. n. 164. Aloyf. Riccius resolut. 393. n. 4.  
Aug. Barboia alleg. 53. n. 87.

PUNCTVM V.

An stante causa legitima possit Episcopus, vel pa-  
rochus a beneficio abesse.

- 1 Constas quid praestare debeant Episcopi.
- 2 De parochis dubitatur, an debeant pro absentia bimestri cu-  
ram ordinario, probare causam? Affirmatiua sententia,  
vt tenenda proponitur.
- 3 Non caret probabilitate contrarium.
- 4 Potest Episcopus sua constitutione sancire, ne ultra hebdoma-  
dam parochus absit absque eius licentia.
- 5 Vtra bimestre esto legitima causa absentia notoria sit, non  
potest parochus absque licentia abesse.
- 6 Vtra bimestre non potest parochus ex sola petita licentia  
non concessa se absentare, tamen si irrationabiliter negentur.
- 7 Si quis absit ex legitima causa, a superiore tamen non  
probata, non facit fructus suos.
- 8 Idem est, si approbationem in scriptis non obtineat.

**D**E Episcopis iam dictum est duobus, vel tribus mensibus  
per annum sine continuis, sine discretis, posse absque  
vlla approbatione superioris abesse. Vtra ites menses indigent  
approbatione, nisi cum munus, & reipublicae officium Episco-  
patibus annexum obligat ad hanc absentiam, eo quod tunc  
causa publica, & notoria est: vt inquit concil. sess. 13. cap. 1. de  
reformat.

2 Dubium ergo est, an idem dicendum sit de parochis,  
possint ne illis duobus mensibus a concilio concessis abesse ex  
causa: quae sibi legitima vltra fuerit, an vero teneantur eam co-  
tam ordinario probare? Et quidem quod possit parochus per  
vnum, vel duos dies abesse, imo per hebdomadam ex causa,  
quae sibi iusta videatur, relicto vicario idoneo a se designato,  
vniuersalis consuetudo declarat. August. Barboia 3. part. de prae-  
sens. episc. alleg. 53. num. 106. Pro vno autem, vel altero die  
liberali absentiae, si nullus est in parochia infirmus, poterit abesse  
nullo constituto vicario; quia non adest morale periculum ne-  
cessitatis eius praesentiae. Barboia supra. Solum ergo de absentia  
bimestri est controuersia, an fieri possit, quin ordinarius  
causam absentiae probeat? Negat Anton. Gomez. in explian.  
bulla cruciatae. cap. 7. ad 4. clausulam num. 21. Vgolm. de postul.  
Episc. cap. 15. §. 5. num. 2. Praeterea in praxi Episcopi p. c. 3. num. 26.  
in fine. Lessius lib. 2. de iust. cap. 34. num. 159. Garcia 3. part. de  
benef. cap. 2. num. 22. August. Barboia allegat. 53. num. 96. Valq.  
opusc. de benef. cap. 4. §. 2. art. 1. dub. 3. num. 149. Fundamentum  
desumitur ex verbis concilij sess. 23. cap. 1. dicentis quod quan-  
doque eos (scilicet parochos) causa per Episcopum prius  
cognita

cognita, & probata abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquatur. Ergo quoties parochus abesse contigerit, causa per Episcopum cognita & probata esse debet. Ergo non relinquatur eius arbitrio absentia duorum mensium. Deinde addit concilium. Distinguitur vero licentiam in scriptis, quibus concedendam ultra bimestre: et in personis, nisi ex causa graui non obtineant. Supponit ergo concilium ex leui causa obtinere posse licentiam in bimestre. Et hac pars à sacra congregatione declarata est, vt testatur Garcia 3. part. c. 2. num. 23. §. 9. part. 2. cap. 2. num. 295. in secundo dubio.

3. Nihilominus et si hac sententia, vt omnino secuta, tenenda sit, credo satis probabiliter esse, posse parochum illis duobus mensibus abesse ex causa, quae sibi legitima visa fuerit: sic docuit expressè Nauar. sum. cap. 25. num. 121. Salzedo in pract. cap. 1. vers. illud vt. Azor. 2. part. lib. 7. cap. 4. qu. 10. Emanuel. Saa v. rbo residentia. num. 7. Cenedo collect. 6. ad sextum decret. num. 3. Zerola in verbo priuatis, §. 4. sub. 3. et verbo parochus, §. 2. Eman. Rodrig. 2. tom. sum. cap. 36. in fine. et in explicat. bullae comp. sum. 18. et alij relati à Garcia dicta 3. part. cap. 2. num. 19. Mouero, quia ante concilium Tridentinum parochus licitum erat abesse per bimestre ex causa, quae sibi iusta videretur. At per Tridentinam hoc ius immutatum non est; ergo licet parochus stante causa legitima abesse bimestri nulla petita licentia. Maiorem probat ex cap. presertim. 7. qu. 1. ubi abens abique licentia per duos menses, si probatum fuerit ex legitima causa abuisse, ad Ecclesiam, qua erat priuatus, mandatur restitui. Neque obstat text. in cap. si quis in clero. eadem causa, et quae. ubi dicitur, vt presbyter, si per tres hebdomadas ab Ecclesia sua defuerit, triennio à communione suspendi mandatur. Non inquam obstat; quia ea poena apponitur, quando constat ob illegitimum causam abuisse, nempe ob secularia lucta captanda. Ratio vero, quare bimestris absentia cuiusvis parochi conscientiae remissa sit, sicut trimestris Episcopi conscientiae; ea est, quia hoc tempus pro modico reputatur à concilio, & qui illo tantum abest, non videtur abesse, vt satis indicant illa concilij verba. Quoniam autem, qui aliquantisper tantum absunt, ex veterum canonum sententia non videntur ab illo, qui statim reuersuri sunt, sacrosanctae synodus vult illi absentiae spatium singulis annis sine continuum, sine interruptum extra praedictas causas nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere. Sentit ergo concilium abesse per duos menses non esse censendum abesse, cum id aequa ex causa sit, & abique vilo gregis detrimento: & ita tenet Nauar. dicto c. 2. num. 121. Azor. 2. part. lib. 7. cap. 4. qu. 10. circa finem. Minorem discutit, nempe in parochis non esse à concilio hoc ius mutatum, sed potius confirmatum, sic probat. Nam concilium dicit eadem omnino esse seruanda in parochis, quae in Episcopis. Cum ergo Episcopi possint per 2. vel 3. menses ex causa, quae sibi legitima videtur, abesse, poterunt & parochi per illos duos menses. Neque verum est quod dicit Vasquez allegato, concilium tantum dixisse ea seruanda esse in parochis, quae in Episcopis quoad culpam, amissionem fructuum, & poenas non tamen quoad potestatem se absentandi per duos menses, ex causa, quae sibi videatur legitima. Non inquam, est verum: quia licet expressè illud non dixerit, satis insinuat illud adhiberi etiam: cum enim dixit, eadem omnino etiam quoad culpam, &c. omnia supra dicta implicauit. Adde si eadem omnino quoad culpam in parochis intelligenda sunt, ac in Episcopis, & in Episcopis nulla est culpa, cum bimestri, vel trimestri abfint, ex causa, quae sibi aequa videbitur, neque in parochis ex eadem causa absentibus culpa censenda est. Deinde verba concilij, quibus contraria sententia mouetur; si rectè expendantur hanc partem probant. Inquit enim concilium: Eadem omnino etiam quoad culpam, amissionem fructuum, et poenas de curatis inferioribus, aliisque curam animarum habentibus esse intelligenda; ita tamen vt quancumque eos causa per Episcopum cognita, et probata abesse contigerit, vicarium idoneum ab ipso ordinario approbandum cum debita mercedis assignatione relinquatur. Ex his enim verbis solum colligitur, vt parochi quoties ex causa per Episcopum cognita, & probata abfint, relinquatur vicarium ab ordinario approbandum: non autem ex illis colligitur in absentia bimestri obligatus esse abesse ex causa per Episcopum cognita, & probata, imo potius contrarium ex illis verbis inferret. Parochus namque se ad breue tempus absentandi licitum est vicarium à se designatum relinquere, secus si longo tempore se absentauerit. vt optime probat Thom. Sanchez lib. 3. de matrim. disp. 3. r. 11. Ergo parochus, qui bimestri abest (quod tempus modicum reputatur,) potest vicarium designare. Ergo potest abesse ex causa, quae non sit per Episcopum cognita, & probata. Alias si necessarium esset abesse ex causa per Episcopum cognita, & probata, vicarium designare non posset, sed ab ordinario esset designandus. Sentis ergo illorum verborum esse videtur, vt quancumque parochus obligatus est causa per Episcopum prius cognita, & probata abesse, vicarium loco sui ab ordinario approbandum relinquatur: non tamen ibi explicatur, quando debeat abesse causa cognita, & probata ab Episcopo; sed id supponitur ex his quae de Episcopis dixerat, de-

bere, inquam, esse, quando abest ultra bimestre. Alia item verba concilij, nempe parochos obtinere non posse licentiam discendendi ultra bimestre, nisi ex graui causa, non probant necessarium esse licentiam pro bimestri. Nihil enim de hac illatione illis verbis concilium statuit, sed solum quod certum est definiuit, nempe parochos non posse ultra bimestre, nisi ex graui causa, licentiam discendendi obtinere. Ergo neque ex iure antiquo, neque ex concilio colligitur licentiam necessariam esse ad absentiam bimestrem.

Praeterea id probari potest hac consideratione. Ad absentiam bimestrem qualibet causa honesta sufficiens est, vt tradit Garcia 3. part. d. benef. cap. 2. num. 22. ita vt si causa animam recreandi, amicos inuisendi abis, aequam causam censeat superadictus author te habere. Ergo licentia, & approbatio Episcopi requiri non potest à concilio pro absentia bimestri. Nam hac approbatio expostulatur propter dubium, quod esse potest in causa approbanda. Si ergo qualibet causa honesta sufficit, iam esse non potest dubium in approbatione, vt quid ergo approbatio necessaria est? Denique si quoties parochus abest, obligatus est licentiam ab Episcopo obtinere in scriptis, obligabitur etiam si per hebdomadam tantum abfint, imo si per duos tantum dies; neque poterit illis diebus designare vicarium; hoc autem falsum est, & contra praxim receptam, vt dicit Barbosa all. §. 3. n. 106. Ergo dicendum est ex vi concilij non esse obligatum parochum pro bimestri licentiam in scriptis ab Episcopo obtinere, sed ex causa, quae sibi aequa videbitur, abesse poterit illo bimestri, & vicarium, qui in illo Episcopatu sit approbatus, designare.

4. Verum et si hoc ita sit, potest Episcopus sua constitutione sancire, ne parochi ultra hebdomadam, vel ultra biduum abfint abfque eius licentia, & approbatione, nam esto concilium parochorum conscientiae remittit iudicium de sufficientia causa ad absentiam bimestrem, non tamen impedit, quin Episcopus moueat, & causam approbet, & cognoscat, an ex illa absentia populus detrimentum patiat: sic tenet, & decusum refert Garcia 3. p. de benef. c. 2. n. 23.

5. Sed quid dicendum, cum causa absentiae notoria est, poteritne parochus ex illa, sicut Episcopus, ultra bimestre abesse nulla petita licentia? Respondeo nequaquam posse. Tum quia ipse non potest ultra bimestre vicarium designare. Tum quia cauetur à concilio, ne licentiam ultra bimestre in scriptis, & gratis concedendam sine graui causa obtineat. Supponitur ergo non posse propria auctoritate abesse ultra bimestre: sic pluribus firmat Garcia 3. p. de benef. cap. 2. num. 34. Neque Episcopus ob quamlibet notoriam causam abesse potest sine licentia, sed ob munus, & officium reipublicae, quod Episcopatus annexum sit.

6. Grauior dubitatio est; an stante causa legitime absentiae sufficiat petere licentiam, quantum de facto non concedatur? Et ratio dubitandi est, quia si petens fecit quantum in te est. Ergo non debes iure quod habes te absentandi priuari. Item contra iustitiam tibi denegatur licentia. Ergo illud denegatio tibi obesse non debet.

Ceterum omnino tenendam est, nequaquam posse ex sola petitione te ultra bimestre absentare. Quia concilium non petitionem, sed licentiae consecutionem in scriptis requirit: & ita tradit Abbas in cap. relatum. de clericis non resident. num. 5. Garcia 3. p. de benef. cap. 2. num. 37. refertque à sacra congregatione decusum. Neque obstat ratio dubitandi; solum enim probat non debere te sic petentem licentiam iure absentandi priuari; non tamen probat de facto priuatum non esse, si contra iustitiam licentia denegetur. Adde te posse ad superiore recurrere. Quia à grauiamine tibi facto in denegatione licentiae conceditur appellatio, vt alijs relatis tradit Garcia supra, n. 38. et 88.

7. Hinc inferret te absentem ex legitima causa, à superiore tamen non approbata, non facere fructus tuos, sed obligatum esse illos restituere, ac si nulla causa legitima intercedente abfuisset, quia non seruatis formam concilij vtique ex postulationis, & sufficientiam causa, & illius in scriptis approbationem. Garcia 3. p. c. 2. n. 26.

8. Video tamen Lessium lib. 2. cap. 34. dub. 29. num. 158. affirmantem, si ex legitima causa, & à superiore approbata abis, tamen approbationem in scriptis non habes, fructus in conscientia non amittere; quia illa solemnitas non videtur ad substantiam concessionis pertinere. Sed hoc dictum mihi non probatur. Nam esto ad valorem concessionis, iure naturae spectato, scriptura necessaria non sit, est tamen necessaria ad valorem huius concessionis; quia pro forma licentia in scriptis expostulatur.

à Tridentino.  
\* \* \*

PUNCTUM VI.

De obligatione suscipiendi ordines ratione beneficii.

- 1 Quid dicendum de Episcopatu.
- 2 Ad parochialem assumptus debet intra annum ad sacerdotium promoveri.
- 3 Debet possidere beneficium pacificè.
- 4 Apponitur quadam limitatio.
- 5 Non suscipiens sacerdotium culpabiliter, priuatur ipso iure beneficio accepto ante ullam sententiam.
- 6 Patitur difficultatem supradicta communis resolutio.
- 7 Excusaris ab hac pena, si ex legitimo impedimento, vel dispensatione promotus non fuit.
- 8 Dispensationem solus Pontifex concedit.
- 9 Quod censetur legitimum impedimentum.
- 10 Quid si ob irregularitatem, cuius dispensationem impetrare non potes, non promouearis? Probabiliter est excusari à pena.
- 11 Quid si Episcopus ob defectum litterarum te nolit promouere? Non priuaris.
- 12 Quos beneficiarios afficiat hæc pena priuationis.
- 13 Assumptus ad beneficia, quibusordo annexus est, tenetur infra annum à die pacifica possessionis ordinem suscipere, alias priuari poterit.
- 14 Quid de priuatione vocis in capitulo qualiter intelligatur?
- 15 An intelligatur tantum de priuatione vocis alicuius?
- 16 In Ecclesiis, ubi cum adiunctis proceditur, non potest Episcopus ad priuationem canonicatus procedere absque adiunctis.

**P**luribus beneficiis hæc obligatio annexa est. Nam in Episcopatum assumptus, etiam si sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis sit, tenetur intra tres menses munus consecrationis accipere; alioquin ad restitutionem fructuum tenetur, & si intra totidem menses id facere neglexerit, ipso iure est Episcopatu priuatus: sic Trid. sess. 24. c. 2. de reform. Hæc obligatio suscipiendi consecrationem intra tres menses à die electionis per superiorem inquam confirmatam, iam iure aliquo stabilita erat. c. quoniam quidam. 75. dist. c. quoniam quidam. 110. dist. c. de Siracusana. dist. 28. Circa hæc penam priuationis beneficii, & fructuum statutum à Trid. aduerto satis probabile esse non ligare, quovisque sententia declaratoria negligentia Episcopi necetaria, quia nullum est verbum indicans hæc declarationem necessariam non esse, & regulariter penæ ipso iure imponit: hæc expostulatur declarationem, sic Lessius lib. 2. de iust. c. 34. n. 103. tametsi contrarium communiter receptum sit.

1 Assumptus vero ad parochialem Ecclesiam debes intra annum à die commissi regiminis seu possessionis acceptæ ad sacerdotium promoveri, quod si per te ipsum steterit quominus non fueris promotus, parochiali Ecclesia ipso iure nulla monitione præmissa priuatus existis: habetur expressè cap. licet canon. de elect. in 6. Dixi à die possessionis acceptæ, seu à die, quo illam accipere poteris. Quia idem est ad huiusmodi obligationem inducendam realis possessio, & potestas illius, ut definitur in cap. commissus. de elect. in 6. Neque enim negligentia, vel fraudi fauendum est.

2 Debet tamen possessio pacifica esse, non litigiosa. Nam litigiosa ab hac obligatione excusat ob periculum amittendi beneficium: sic ex communi sententia Azor. 2. p. lib. 6. c. 8. g. 2. Lessius lib. 2. c. 34. n. 100. Garcia 3. p. de benef. c. 4. n. 1. Imo addendum existimo, non solum litigium in limine possessionis ortum te à suscipiendis ordinibus excusare, sed etiam subortum durante anno, quo promoveri debebas. Quia non est æquum te obligatione perpetua ordinum arctare ad beneficium, quo fortè priuaberis, sic Aegid. Bellam. decis. 83. quem refert & sequitur Garcia 11. p. de benef. c. 5. n. 118.

3 Patitur tamen hæc doctrina limitationem, in lite mota super petitorio, casu quo tibi ex prouisione sedis Apostolicæ concessum sit liberum curæ exercitium, & omnium bonorum, fructuum, & prouentuum ad dictam Ecclesiam parochialem pertinentium possessionem, eo quod hæc lis non ita periculosa videatur, & periculum perceptione fructuum compensatur: sic tenent, decisumque referunt Barbosa in declarat. concil. sess. 22. cap. 4. in fine. Garcia 11. p. de benef. cap. 5. num. 121. c. 122.

4 Supradictam penam priuationis beneficii ipso iure incurrit, ita ut ex communi sententia ante ullam sententiam declaratoriam tenentis te beneficio spoliare. Nam licet penæ regulariter non obligent ad sui executionem, antequam sententia saltem declaratoria criminis accedat. At hæc priuatio non tam est pena, quam defectus conditionis à lege requisitæ, ut beneficii collatio firma perueniret. Hic ergo defectus rescindit & resoluunt collationem à principio validam, lege sic disponente. Lessius lib. 2. de iust. cap. 34. dub. 29. numer. 301. Na-

uarr. cap. 25. num. 117. & alij relati à Garcia 11. p. de benef. c. 11. num. 29.

5 Hanc sententiam approbo, quia communem; tametsi contraria non leui fundamento fulciri possit. Negari namque non potest, illam priuationem relatum in cap. licet, esse proprie penam. Tum quia est ob delictum commissum non suscipiendi ordines. Tum quia priuatur iure quæsitio beneficii: beneficium enim quæsitum fuit independentè ab ordinum susceptione: alias ordines non suscipiens omnes fructus illo anno perceptos obligatus esset restituere; quod à doctoribus communiter reprobat. Si ergo hæc priuatio est proprie pena, ut pro certo tenet Suar. lib. 5. de legib. c. 5. n. 8. & cap. 8. n. 10. & præter regulariter non obligant ad sui executionem ante sententiam, neque hæc pena ante sententiam obligabit. Dices ideo ante sententiam obligat; quia in ipsamet lege sic eorum est: inquit enim rest. in dicto cap. licet canon. Quod si infra idem tempus (scilicet annum) promotus non fuerit, Ecclesia sibi commissa nulla etiam præmissa monitione sit præfatis constitutionis autoritate priuatus. Ergo ex vi huius textus nulla monitio, & declaratio requiritur. Sed leue est supradictum fundamentum. Nam illa verba, nulla præmissa monitione, referenda non sunt ad priuationem, sed ad promotionem, ut bene notant Garcia 11. p. de benef. cap. ult. n. 30. ita ut faciat hunc sensum, si infra annum promotus non sis, etiam nulla præmissa monitione, Ecclesia tibi commissa priuatus existas. Adeo etiam illa Verba ad priuationem referrentur, adhuc non conueniunt necessarium non esse delicti declarationem; ad summum enim conueniunt non esse necessariam priuatum monitionem, ut tu priuatus existas. Erit tamen necessaria delicti, vel penæ declaratio, quia hæc non excluditur.

6 Quod si ad commune effugium recurras, dicens beneficium concedi sub hac conditione, ut infra annum nullo stante legitimo impedimento ad sacerdotium debes promoveri, si minus rescindatur collatio. Obstat gratis hoc esse dictum. Nempe vnde constat hic prouisionis modus? Præterea idem dicitur post in priuatione ipso iure beneficii contingente ob alia delicta, scilicet hæresim, simoniam, assassinium, & similia, conuictam, beneficium sub illa conditione, ne illa delicta committantur: illis vero commissis beneficii collationem annullari, quod non est communiter receptum. Ergo probabile est te non esse obligatum ob non promotionem cedere beneficio, quovisque per sententiam obligeris, & ita tenet Zetola præf. Episc. 1. n. verbo beneficium. S. 4. dicto 4. Doctor, Salag. in fine de sequenti, possessio. 81.

7 Ab hac priuatione beneficii excusaris, si ex legitimo impedimento, vel dispensatione non fuit ad ordines promotus. Quia rest. in c. commissus. de elect. in 6. petit culpam, que omnino cessat stante legitimo impedimento, vel dispensatione.

8 Dispensatio autem solum à Pontifice concedi potest: quia legis à se latæ obligationem solus ille valet remittere. Et eius vero commissione Episcopus in vnicuique tantum casu, & tempore ob studium ad septennium; & tunc intra annum ordinari debet subdiaconatu, & septennio expirato debet intra annum fieri sacerdos: alias beneficium vacat. Habetur c. cum ex eo, de elect. in 6. Sed an hæc potestas reuocata sit à Trid. latè disputatum tract. 7. disp. 3. punct. 9. §. 9. n. 8. c. 9.

9 Legitimum vero impedimentum est, si ob infirmitatem, vel absentiam Episcopi, vel illius contradictionem non promouearis. Si tamen Episcopus dat tibi facultatem ut ab alieno Episcopo promouearis, in culpa eris, si omittas promoveri, Bernard. Dicit præf. c. 5. n. 3. ubi consultit, & bene, quoties impedimentum ex parte Episcopi prouenit, te debere ad vitandas lites protestari paratum esse ad ordines suscipiendos.

10 Sed quid si ob aliquam irregularitatem, aliudve canonicum impedimentum, cuius dispensationem obtinere non potes, non promouearis? Et quidem si absque tua culpa contigit beneficio priuandus non es, ut tradunt doctores referendi. At si tua culpa contractum est etiam post beneficii consecrationem, cedit Glossa in dicto c. licet canon. de electione. in 6. verbo priuatus. te priuatum esse; quia iam per te ipsum stat non promoueri: consentit Azor. 2. p. in sit. moral. lib. 7. c. 16. g. 1. in fine. Bernard. Dicit part. c. 53. n. 3.

Cæterum probabilis credo te excusatum esse à supradicta priuatione, si ob irregularitatem tua culpa contractam non promouearis; dummodo tamen non sit contracta ea intentione, ut ab ordinibus suscipiendis impediaris, sic docuit Rebuff. in præf. benef. tit. de non promissis intra annum. num. 80. Garcia 3. p. de benef. cap. 4. num. 6. Lessius lib. 2. c. 34. num. 100. nihil distinguens, an irregularitas fuerit ex culpa, vel non. Ratio est; quia postea irregularitate iam legitime impeditus es, neque per te ipsum stat quominus promouearis: quod vero culpam commiseris in irregularitate contrahenda, est per accidens, cum non contingeret ex intentione, ut ab ordinibus impediaris; alias si ob culpam tuam infirmus fueris, beneficio priuandus esses, quod non admittitur.

11 Hinc inferitur, quando Episcopus ob illiteratam non vult te promouere, non esse beneficium priuandum; nam esto in discendis litteris negligens fueris, non ob hæc negligentiam, sed



sed ob negligentiam immediatam suscipiendi ordines debes beneficio priuari: & ita facta congregatio respondit, vt testatur Garcia supra, Salzedo dicto c. 53. n. 1.

12 Petes, quos hæc pœna dicitur cap. licet canon. afficiat: Respondendo afficere omnes illos, qui Ecclesiæ parochiali in titulum, vel commendam, seu vicariam præficiuntur. Quapropter si in vicarium perpetuum alicuius parochialis Ecclesiæ designatus, teneris intra annum ad sacerdotium promoveri: quia in te translata est tota Ecclesiæ cura: colligitur ex clement. 1. de officio vicarij: & notauit Azor. 2. p. lib. 6. cap. 8. quæst. 5. Extenditur hæc doctrina ad Priores Ecclesiarum conuentualium, in quibus si Prior designatus, obligatus es intra annum sacerdotium suscipere: alioquin vacat prioratus: nec iterum illa vice potest tibi conferri, constat ex clement. ne in agro. §. ceterum. de statu Monach. Quod si prioratus regularis, non conuentualis fuerit, & tibi in 20. anno constituto conferatur, vt conferri potest infra 25. ætatis tuæ annum, ad sacerdotium debes promoveri, alioquin vacat, vt supra: sic habetur in supra. clement. & tradit Glossa ibi: & notauit Azor. 2. p. in iust. moral. l. 6. cap. 8. q. 6. Dicit penam dicitur cap. licet canon. afficere Ecclesiæ parochialis præfectos, vt hæc ratione excluderet Decanum, Præpositum, Archidiaconum, aliisque dignitates, quibus animarum cura annexa est, à priuatione beneficiorum ipso iure, eo quod intra annum non promoueantur. Et idem est de iis, qui Ecclesiis collegiatis præficiuntur. Quia licet curam animarum exercent, non tamen Ecclesiam parochialem dicuntur habere: cap. siatum, de electione, in 6. eo quod cura non vni tantum, sed pluribus collegialiter, vel diuifim commissa sit, quod alienum est à qualitate requisita pro Ecclesia parochiali, ex pluribus relictis à Gonzalez gloss. 6. à num. 42. & text. in dicto c. licet canon. solum loquitur de obtinentibus parochialem, sub qua Ecclesia collegiata, decanatura, præpositura, aliisque similia beneficia non comprehenduntur, sic aliis relictis, Azor. 2. p. lib. 6. c. 8. quæst. 3. Gonzalez gloss. 6. à num. 34. & seqq. Debet autem Ecclesia parochialis actu curata esse, & non sufficit habitu, vt hanc obligationem suscipiendi sacerdotium inducat, Azor supra quæst. 9. August. Barbosa allegat. 53. num. 68.

13 Assumptus vero ad dignitatem, canonicatum, præbendam, seu quodlibet aliud beneficium, cui aliquis ordo sit annexus, teneris intra annum à die pacificæ possessionis, seu à die, quo per ipsum stat, quominus cum obtineat ordinem suscipere requiritur. Alioquin post monitionem factam priuari potest. Si vero hæc beneficia in Ecclesiis cathedralibus, vel collegiatis secularibus, vel regularibus existant, illa obtinentes vocem habere non possunt in capitulo, etiam si ab aliis liberè concedatur, nisi saltem in subdiaconatus ordine fuerint constituti. Et si infra annum non susceperint ordinem beneficij requisitum, ex tunc donec ad eum promoti fuerint, nullo modo vocem in capitulo habeant, & pars dimidia distributionum, que dantur iis, qui certis horis intereant, subtrahatur: habeatur expressè in clem. vt ij. de atate. & qual. & in Trident. sess. 22. capit. 4. de reformat. supradictam clement. renouante.

14 Ex quibus fit promotus ad Ecclesiæ cathedralis, vel collegiatis canonicatum, cuius sacerdotalis ordo, v. g. annexus est, si subdiaconatus ordine insignitus non sit, vocem habere non potest in capitulo à die promotionis, & anno transacta, si per ipsum fuerit, quominus ordinem sacerdotij susciperet, priuatam eadem voce existere, & insuper dimidia parte distributionum sic relato Moneta de distribut. quæst. 2. p. quæst. 10. num. 9. docet August. Barbosa 1. p. de potest. episc. tit. 1. cap. 3. num. 22. præsertim supponit Garcia 3. p. de benef. cap. 4. num. 23. imo censet si canonicatum, & dignitatem habeas, & ratione vtriusque vox tibi in capitulo competat, promotusque sis ad ordinem canonici annexum, non tamen ad ordinem annexum dignitati, vtraque voce priuatam existere. Quia illud vniuersale negatiuum, nullo modo vocem in capitulo habeant, eandem, excludit omnem vocem, tametsi non excludat distributiones competentes ob canonicatum. Sed non probat. Quia est rigorosa explicatio, neque satis fundata. Nam illud vniuersale negatiuum debet referri ad vocem competentem præbendæ, cuius ordinem annexum culpabiliter non suscipis, non ad vocem competentem præbendæ, cuius obligationi satisficis. Alias etiam priuari deberes voce competente ob canonicatum, si ordinem competentem dignitati, quæ nullam in capitulo habet vocem, non susciperes, quia concilium nullam in hac parte fecit distinctionem, quod Garc. non admittit.

15 Sub nomine distributionum quæ veniant intelligenda constat ex dictis trad. 7. disp. 3. punct. 5. in fine. Solum de vocis priuatione est aliqualis dubitatio, an de actiua, an de vtraque simul intelligatur? Lessius lib. 2. cap. 34. dub. 29. num. 105. censet vtramque vocem esse comprehendendam; ac proinde neque eligere, neque eligi posse non promotum. Moueri potuit: quia vbi ius non distinguit, neque nos distinguere debemus. Contrarium credo probabilius, solum de priuatione vocis actiue fuisse ius locutum. Quia pœna extendenda non sunt, & vox actiua est, quæ proprie, & absolute vox dicitur, non passiuæ. Ergo pro sola vocis actiue priuatione intelligenda est priuatio

vocis absolute sumptæ. Quia verba absolute prolata stant pro famuliori significato. Sic Garcia 3. part. de benef. cap. 4. numer. 15.

16 Sed inquires, an in Ecclesiis, vbi proceditur cum adiunctis, iuxta Trident. sess. 25. cap. 6. de reformat. possit Episcopus absque adiunctis procedere ad priuationem contra canonicos non suscipientes ordinem requisitum? Affirmat Garcia 3. p. c. 4. num. 21. quamuis num. 23. contrarium videatur sentire. Et mouetur: quia hæc causa non videtur criminaliter procedere, sed ciuilitè, iuxta textum in cap. per tuas. de Simon. circa finem: ibi, sales ( scilicet testes aliis minus idoneos ) contra eadem rationem duximus admittendum non secundum rigorem iuris, sed secundum temperantiam equitatis, cum ageretur non criminaliter, vt deponeretur ab ordine, sed ciuilitè, vt ab administratione amoueretur. Ergo priuatio administrationis, & à fortiori vocis actiue causa ciuilis est, non criminalis.

Ceterum omnino tenendum est non posse Episcopum absque adiunctis in hac causa procedere. Negari namque non potest esse causam criminalem, esto ciuilitè intentetur. Est enim inquisitio, & inuestigatio delicti commissi in ordinibus non suscipiendis, & ob huiusmodi delictum pœna priuationis vocis actiue, & dimidiæ partis distributionum imponitur: nequit ergo hæc causa sine adiunctis tractari: & ita à facta congregatione decisum est, & renouatum, quod aliis in contrarium, dispositar, vt ipsemet Garcia supra n. 23. testatur.



DISPUTATIO VI.

De beneficiorum vacatione, amissione, diuisione, extinctioe, erectione, & illorum vnione.

**B**ENEFICIUM vacare dicitur, cum domino caret: sed quia caret domino potest aliquando de iure, & de facto: aliquando de solo iure, & non de facto, aliquando de facto, & non de iure: idem beneficium aliquando vacat de iure, & de facto, aliquando de solo iure, & non de facto, aliquando de facto, & non de iure. Si enim iure possideas beneficium, & mortuus illud deponas, nec fit alteri collatum, vacabit beneficium de iure, & de facto. Si non iure possideas, sed de facto, quia illo priuatus es, beneficium de iure vacabit, cap. licet Episcopus. 2. de præbend. in 6. At si tibi legitime possides, subtrahatur iniuste beneficium, vacabit beneficium de facto, sed non de iure, c. accepta, c. olim, de restitut. spoliar. Rursus supradicti modi vacationis contingere possunt multipliciter, nempe per mortem beneficiati, per beneficij resignationem, per mutationem, alterius affectuonem, &c. Vide Rebuff. in practi. tit. requisita ad collationem bonam, à n. 49. & in concordat. tit. regia ad prælaturas nominatio, §. monasterijs, verbo vacantijs, & in repetit. cap. nulla 2. de concess. præbendæ. 6. præmissio. Staphil. de literis gratia, tit. de varijs modis vacationis, per totum. Azor. 2. p. l. 7. c. 16. q. 1. & 2. Amillio beneficij proprie est, quando illo per delictum priuatis. Extinctio quando alteri vnitur, & quasi prædium illius fit, vel supprimitur. Erectio, quando de nouo erigitur. De omnibus ergo sigillatim agendum est, & primo de vacatione.

PUNCTVM I.

De vacatione beneficij per obitum.

- 1 Per obitum vacat beneficium.
- 2 Excipiuntur tres casus.

**P**rima, & præcipua beneficij vacatio est morte beneficiati, c. susceptum, de rescriptis, in 6. Et ibi glossa, & doctores. Mors enim omnia iura soluit. Ausbert de nuptijs. §. deinceps collat. 4. Quod adeo verum est, vt etiam si miraculose beneficiatus resurgeret, nullum ius ad beneficium recuperandum haberet. Gonzalez 1. p. ad reg. 8. Cancellar. à n. 3. Aug. Barbosa 3. p. de potestate episcop. allegat. 57. n. 199.

2 Tres casus supradicti doctores excipiunt, in quibus beneficium per obitum beneficiati non vacat. Primus est, quando beneficium esset suppressum ab habente potestatem, vel esset alteri beneficiatus: sed hoc quid mirum, cum tunc non sit beneficium, sed suppressio extinguat, & per vnionem fiat quasi prædium illius, cui vnio facta est: Gonzalez gloss. allegata. num. 7. Barbosa num. 199. Garcia 11. p. de benef. cap. 2. n. 2. Secundus est, quando beneficium est de mensa prælati, seu capituli, ob mortem ei inferuentis non vacat. Quia inferuit non proprio, sed alieno nomine scilicet nomine prælati, vel capituli, cui est beneficium vnium: sic Gonzalez. Barbosa, & Garcia supra. Qualiter autem his vicarijs designandus sit, disp. 1. p. 2.